



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Praxis Episcopalis

In Qva Episcoporum Non Tantvm, Eorumqve Vicariorum munus; sed  
Parochorum etiam & conscientiarum directorium concernentium casuum  
ac dubiorum indies occurrentium Resolvtiones ... quàm brevissimè  
continentur

**Zerola, Tommaso**

**Coloniae Agrippinae, 1680**

Canonia.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10421**

fine anni, & videtur quòd non, quia dicuntur annui census, & menstrui, & quibusdam visum est, etiam non licere, quia videtur plus capere, quàm decem procentenatio; plus enim valet res matura, quàm acerba, & ad præsens ova, cras pullis sunt meliora: tamen quidquid sit, nihil refert, sive membratim, sive simul census exigatur; ista conclusio est Flor. Theol. loc. cit. art. 6. conclus. 3. & sic videmus passim practicari ubique à piis & doctis viris. Ratio est, quia emptio, & pretium rei venditæ potest dari, vel simul, vel divisim, & sic non obstant objecta, quia etiam non dicuntur solutiones mensuræ, ut notat Greg. XIII. in Bulla Calendarii novi correcti, §. ne verò, ita Navar. in capit. si fœneraveris, 14. q. 3. n. 134.

Ad decimum. Vide Covar. lib. 3. c. 10. col. penul. var. resol.

Ad undecimum. Vide eundem lib. 2. c. 3. n. 4. vers. 5. loc. cit. ubi dicit, quòd sic, si aderit litigium, vel onus aliquod.

## CANONIA.

## SUMMARIUM.

1. quid sit, & an sit annexa Canonie prebenda, & econtra.
2. An omnes Canonici debeant habere sacrum ordinem.
3. An Episcopus possit dispensare cum illegitimo, ut possit habere canonicatum, etiam in Cathedrali.
4. An omnes teneantur Canonici esse Sacerdotes.
5. Quando habeant vocem in Capitulo

6. Quando incipiant gaudere perceptione fructuum.
7. Quando possint optare in Ecclesiis, ubi adest ista consuetudo.
8. Quid si unus Canonicus, habens pensionem super Canonicatu suo, & postea vellet consequi alium Canonicatum sine ullo onere, an eo habito, possit sedere, & habere locum in choro ubi prius.
9. Quæ ætas sit necessaria ad Canonicatum consequendum.
10. Quid de numero Canonicorum.
11. Quid de obligatione.
12. An datur jus optandi, si per longum tempus quis non optat.
13. Quando incipiat Canonicus gaudere distributionibus quotidianis.
14. An fructus prebende, seu Canoniciatus possit obligari pro debito, vel sequestrari, vel capi.

AD primum. Vide quæ dixi in ver. beneficium, §. 1. num. 13. sed est sciendum quòd Canoniam, sive Canonicum significant regularem, quia canon regulam significat, c. 1. d. 3. & primò Canonici vivebant omnes simul in Canoniciis cum Episcopo more religiosorum, Soto l. 10. q. 4. art. 3. de just. & iure, habebant omnia communia, Aug. in c. certa, 12. q. 1. & in c. quatuor, & in c. non dicatis, ibidem. ex quo videmus quantum degeneremus à veteri illo sanctorum Patrum instituto, quia hodie vivimus propemodum more laicali laxioribus habenis.

Ad secundum. Prima conclusio, in Ecclesia Cathedrali omnes Canonici tenentur



tenentur habere ordinem sacrum. Ista conclusio est fact. Conc. Trid. *sess. 24. c. 11. de reform.* vel saltem Canonicus cathedralis debet esse in tali ætate, ut infra tempus à jure & à sancta Synodo statutum initiare possit, *sess. 7. cap. 12. c. licet Canon, cum similibus, libro 6. de elect.* Secunda conclusio; in illis verò Ecclesiis illi tantum canonici tenentur esse in ordine sacro, qui habent Canonicatum, dignitatem, seu portionem requirentem ordinem sacrum, vel in ætate, ut supra est ejusdem sacri Conc. *eo loco, ver. neminem.* Ex quo sumitur tertia conclusio, quòd ubi Canonicatus, præbenda, seu portio non requireret sacrum ordinem, quòd illam posset habere etiam Clericus simpliciter, fact. Conc. *sess. 22. cap. 4. §. 11. de reform. Clem. 2. de atat. & qual. & Selva tract. de benef. 2. p. 9. 6. gloss. in cap. 1. in ver. tale, de fil. presb. libro 6. decis. Rot. 26. de script. in novis. Boer. decis. 17. numero 1. & cap. 2. & ibi Abb. in ult. notab. de institut. vide superius, in vers. capitulum, §. 10. & quæ ibi dixi ex mente Abb. & Gemin. in c. ex eo, notab. 2. de elect. 6. l. 6. dicit quòd existens in pupillari ætate, potest esse Canonicus in Ecclesia Cathedrali, & se remittit ad ea quæ dixi superius in c. si. eo tempore. de rescr. eod. lib. sed potest intelligi, ubi Canonicus non requireret ordinem sacrum, vel ante Concilium, ubi requiritur ætas annorum quatuordecim in quolibet beneficio, vide inferius, §. 6. & in 2. par. ver. atas, §. 3. Quarta conclusio; Episcopus non potest cogere Canonicos, ut efficiantur omnes sacerdotes, sed sufficit, si dimidia pars Canonicorum presbyteri*

sint, inter quos præcipuè debet esse Prior, cæteri verò Diaconi, aut subdiaconi. ut fact. Conc. Trid. decrevit, *sess. 24. cap. 12. §. præterea obtinentium.* ita Sac. Congreg. in forma declarat. 39. Nec Synodo provinciali licet imponere onus dignitatibus, quòd quis nisi graduatus, non possit eas obtinere sine sanctæ sedis Apostolicæ auctoritate, ita fact. Congr. declarat. 334. in meis, & in alia, quæ est 338. censuit in hæc verba; *Nullò Conc. Trid. decreto statutum est, ut qui Decanatum consequi velit, is necessario sit Magister, sive Doctor, aut Licentiatum in jure, sacra Theologia, vel jure Canonico.*

Ad tertium. Sit prima conclusio. Si canonicatus Ecclesiæ collegiatæ non requireret ordinem sacrum, potest Episcopus dispensare cum illegitimo, ut ibi Canonicatum habeat: similiter de beneficio simplici dicendum est: gl. in c. 1. de filiis presb. lib. 9. in ver. beneficium; & Selva 5. p. loc. cit. 9. 61. num. 4. circa ultim. Vinc. de Franc. decis. 189. num. 2. Ista conclusio intelligitur, prout fact. Conc. Trid. *sess. 25. c. 15. de reform.* Secunda conclusio, Episcopus non potest dispensare, ut illegitimus habeat Canonicatum in Ecclesia Cathedrali, quicquid dicat gl. cit. & Selva loc. cit. Ratio est, quia omnis Canonicatus cathedralis requirit ordinem sacrum, ut supra, & gl. in d. c. in ver. tale, sed Episcopus non potest dispensare cum illegitimo ad ordines sacros; ergo c. 2. de fil. presb. lib. 6. & c. 1. eod. lib. & iii. Navar. c. 25. num. 69. notab. 4. & c. 27. num. 271. notab. 10. decis. Rot. 2. & ibi additio, num. 1. & 2. in novis. de fil. presb. facit quòd dicit Gom. de expect. num. 34.

R

num. 34.



num. 34. ubi dicit, quòd dispensatus illegitimus, non potest obtinere Canoniatum in Ecclesia cathedrali, & Staph. *de lit. for. 1. n. 3.* Tertia conclusio, nec Episcopus potest dispensare cum illegitimo, ut possit habere commendam, Gom. *9. 5. col. 13. de trien. possess.* hoc intelligerem de commenda curata, secus de simpliciter.

Ad quartum. Breviter fac. Conc. *sess. 34. c. 12. §. ipso autem*, disponit, ut dimidia pars Canoniorum saltem sint presbyteri, ceteri verò Diaconi aut subdiaconi; ubi verò consuetudo laudabilior habet, ut plures, vel omnes sint presbyteri, omninò servetur. Accedit ad hoc declarat. *facr. Congreg. 39.* ubi ita censuit: *Episcopus non potest cogere, ut Canonici efficiantur omnes sacerdotes, sed sufficit, si dimidia pars Canoniorum presbyteri sint, inter quos precipuè debet esse Prior, ceteri verò Diaconi, vel Subdiaconi, & declarat. 6.* censuit in hæc verba: *Episcopus debet cum consilio Capituli designare quibus Canoniatibus quisque sacer ordo annexus esse debeat, non quibus Canonici, & quia sac. Cõc. loc. cit.* non mandat sacris ipsos ordines annecti personis canonicatus obtinentibus, sed canonicatus ipsis, quod est notandum pro intelligentia illius textus.

Ad quintum. Respondetur negativè, per *Clem. 2. de etate & qualit.* & Concil. *Trid. sess. 22. cap. 4.* nisi habeant ordinem sacrum; etiam si hoc sibi ab aliis liberè fuerit concessum.

Ad sextum. Sit prima conclusio: qui obtinet Canoniatum, dignitatem, personatum, officium, seu præbendam, cui certi ordines sunt annexi, nisi infra tem-

pus à jure statutum ad hujusmodi ordines se promoveri faciat, cessante legitimo impedimento, non facit fructus suos. Conc. *Trid. loc. cit. §. neminè, c. commissa. de elect. lib. 6.* Secunda conclusio; varia est locorù consuetudo: nã alicubi Subdiaconus unam, Diaconus duas partes, Presbyteri tres lucrantur, alibi verò nihil, nisi sint presbyteri, quod ipse non laudo: nam cum omnes laborent, omnes pasci debent, *cap. cum secundum Apostolum de præb. & illud Deu. cap. 25. & 1. Corinth. c. 9. Non ligabis os bovi trituranti*, eo vel maximè, cum *fac. Conc. loc. cit.* non requirat ut omnes sint presbyteri, & ideo talis consuetudo esset moderanda per locorum Ordinarios, quã propter optima est Beneventi consuetudo, conformis juri communi, ut una pars detur Subdiacono, duæ Diacono, tres presbytero: ex fructibus enim Canoniorum tres partes ibi fiunt, & in vinea Domini singuli laborantes accipere debent singulos denarios, *Matth. 6.* & unicuique secundum propriam virtutem dat pater familias, *Matth. 25. 3. concl.* ubi verò dignitas, præbenda, seu portio non requirerent sacrum ordinem, clericus simplex ibi provilus faceret fructus suos, prout in quibusdam collegiatis, & Ecclesiis receptivis, quia Conc. solùm excipit, ubi requireretur sacer ordo, nisi aliter se habeat consuetudo, & tunc tales vocantur canonici in herbis, *Staph. loc. cit. fol. 3. num. 4. & fol. 139. num. 2. Gom. de expect. num. 37.*

Ad Septimum. Reperitur consuetudo in quibusdam Ecclesiis, etiam cathedralibus, ut clerici, & presbyteri simpli-



ces possunt optare Canonicatus, & Canonici dignitates, sic gradatim secundum gradum promotionis, prout in Episcopatu Avellinensi Beneventanæ provinciae fit. Prima conclusio, ista consuetudo valet, *cap. cum in tua, de consuetud. lib. 6.* secunda conclusio: optatio debet fieri spatio viginti dierum à die notitiae, *text. & gloss. ibidem, in vers. viginti dies.* & an ipsi viginti dies possint prorogari; putà per duos alios dies antiquiori per capitulum, affirmativè respondetur, *Tiraque, de utroque retract. §. 1. gloss. 10. numer. 58. & gloss. in dict. cap. fin. in vers. duntaxat.* sed quando praesumitur ista scientia, seu notitia, vide *addit. ad decis. Rota 4. de consuetud. in novis. numero septimo.* & faciunt ea, quae dixi supra, *in ver. beneficium, §. 3. & in vers. jus patronatus, §. 5. dub. 1. & 2.* secus, vel optabit alter, vel devolvitur ad Episcopum, *per capit. 2. de concess. prab. & Clem. unio. de suppl. negl. pralat. qui habebit sex menses ad providendum, nec interim devolvit ad Papam, nisi sex mensibus elapsis, ita Gemin. ibi, ut dicitur inferius, conclus. 7.* & isti viginti dies possunt esse in majori tempore ad optandum, secundum diversam consuetudinem; *Gemin. ibi, §. ut autem, vers. quid si in Ecclesia.* Tertia conclusio: ista optatio dicit jus ad rem, ad eò quòd est jus considerabile in *reg. Cancellariae, de non toll. jure quæsito. Gom. in d. reg. quæstion. 1. fol. 19. volum. 3. & 7.* modò hinc fit. Primò, non posse Ordinariam conferre illud beneficium, ad quod quis habet optionem, *per c. si tibi absenti, de prabend. li-*

*bro sexto.* Secundo fit, si quis impetraret à Papa non habita de hac mentione, non valeret impetratio, *per reg. cancell. cit. & dixi in ver. derogatio.* Non obstat, quod dicit *addit. dec. 1. & 5. num. septimo & decis. 2. Rota in antiquis, de consuetud.* quia hoc valet, quando fit derogatio specialis, quia non sufficit generalis, prout *Staph. de lit. grat. fol. 186. num. 1. & 2. & ipsemet text. in initio. ubi provisionem Apostolicam non vult valere contra hanc consuetudinem.* Quarta conclusio: si adest unus Canonicus antiquior, & non optaret intra tempora, sed interim optat junior, tenet optio junioris in eventum quo senior, sive antiquior non optaverit intra tempora, *Staph. loco cit. fol. 166. numero 2. glossa inibi, in ver. duntaxat.* Quinta conclusio; non potest optare minorem dignitatem, seu praebendam ille, qui habet majorem, *dec. Rot. 3. de consuet. in novis.* Ratio potest esse, quia optio fit ad superiora, & altiora, non econtra, sicut optio in collegio Cardinalium, *gloss. ibi, in vers. meliores,* quid si vacaverit deterior antiquiori magis grata, vide *Anchar. dicto c. ver. ex quo.* nisi aliter se habeat consuetudo, nempe quòd æqualis, vel minor quoque posset optari. *Gemin. ibi, ver. possent opiniones,* & secundum diversas diversarum Ecclesiarum consuetudines observatur. *Gemin. ibidem, vers. ex his inferitur.* Sexta conclusio: hoc non habet locum in beneficiis ipsis vacantibus in Curia, *text. §. in prab. Staph. loco cit. fol. 286. num. 3.* quia ista non possunt optari nisi juxta dispositionem *c. statutum, de prab. lib. 6. gl. in d. cap. ordinatur, decis.*



Rot. 4. de consuetud. in noviss. Septima conclusio, nec datur optio in beneficiis reservatis generaliter, sive specialiter. addit dec. 1. Rot. de rer. permut. num. 7. in noviss. Staph. loc. cit. fol. 187. num. 4. & hoc quando reservationibus fieret derogatio, saltem cum clausula generali. Octava conclusio: intrusus non potest optare, & intelligitur de intruso habente beneficium reservatum per c. 2. de præb. lib. 6. Gom. in q. 31. de trien. possess. in præb. lib. 6. Nona conclusio; devoluta ad sedem Apostolicam non possunt optari, addit. ad dict. decis. 1. num. 9. de rer. permut. in noviss. Decima conclusio: non potest optari prima dignitas, quæ est major post pontificalem, quia est reservata per reg. Cancell. & sic fuit decisum in facto pro Archidiacono Avellinensi annis elapsis. Undecima conclusio; an circa præbendas vacantes in Curia vel reservatas motu proprio, valeat ista consuetudo, vide Card. cons. 3. in tit. de consuetud. & Staph. loc. cit. fol. 187. num. 4. Duodecima conclusio, quomodo ista optatio fieri debet ratione ætatis, temporis, vel ordinis, vide gl. ibi, in vers. antiquiores. Decimatertia conclusio: ista optatio non datur nisi per obitum, non in resignationibus factis in manibus Papæ in favorem certæ personæ, Caputaq. dec. 28. p. 2. Decimaquarta conclusio; an absens etiam in servitio Papæ, vel Episcopi, possit optare; pro, & contra disputat Gem. in d. c. vers. sed pone, quod consuetudo, & videtur quod non: tamen vide eum, succedente casu. Decimaquinta conclusio; ubi adest consuetudo optandi, ultra viginti dies, vel statutum, potest optari ultra illos viginti

dies, quia text. non tollit consuetudinem, vel statutum, nisi adest Apostolicus expectans; Gem. in d. cap. fin. §. ne autem, ver. quid si Ecclesia, Decimasexta conclusio; an optatio impediatur per permutationem, vide per extensum, pro & contra, Gem. in d. c. ver. quomodo, col. 1. Decima septima conclusio: ista optatio impeditur per reservationem generalem factam à Papa, vel motu proprio, non autem petitione particularis personæ, Gem. in d. c. §. in præbendis, ver. quæro quid si Papa. Decima octava conclusio; si quis non optat spatio viginti dierum, à tempore scientiæ, ad quem devolvitur provisio Canonicatus, vel præbendæ? Respondetur, ad Ordinarium, & illo non providente per sex menses, devolvitur ad Papam: nam Papa non posset antea illum vel illam conferre iure ordinario. Archid. Jo. And. & Gem. loc. cit. ver. quid si Papa confert. Decimanona conclusio; ista notitia debet esse certa, & non ficta, & currit de momento ad momentum. gl. Lopus, & Gem. loc. cit. §. ne autem, ver. ex gloss. ergo. Vigesima conclusio, ista optatio datur omnibus Canonicis simul, in tantum quod non optante primo, potest optare secundus, & hoc non optante tertius, & sic deinceps, & sic successive. Gloss. & Gem. loc. cit. tamen omnibus simul currunt viginti dies, & sic curritur ad horas, vel ad momenta.

Ad octavum. Videtur quod non posset sedere, ubi prius sedebat, quando habebat Canonicatum alterum. Ratio, quia adest hic novus titulus, novaque provisio, decis. Rot. de consuetud. in noviss. n. 1. iuxta finem, facit cap. si beneficia, de præb. lib. 6.



lib. 6. & Gom. q. 24. col. 2. de trien. poss. sess. dec. Rot. 3. de rer. permut. in noviss. Staph. loc. cit. fol. 112. n. 13. ergo si est nova collatio, novusque titulus, intervenit etiam mutatio de loco ad locum, vide Boer. in tract. de auctor. mag. par. Fran. num. 82. & declarat. sac. Cong. 182. ubi dicit quod optans dignitatem perdit Canoniatum, & declarat. 189. dicit quod habens Canoniatum in qua Ecclesia similiter patet ejus habuit Canoniatum, non potest in eadem Ecclesia de Canoniatu ad dignitatem ascendere, Anchar. in d. cap. vers. opponitur. legitur ex his concludenter istum debere mutare locum, & hoc clarè habetur ex capit. quamvis, de rescrip. lib. 6. & ita fuit consultum in facto, anno 1592. de mense Januarii à quodam Reverendissimo Archiepiscopo, me præseate, cujus sententiæ ipse etiam fueram, & scripseram hic. Rebuff. de simon. resign. ratio. part. ac res. numero 19.

Ad nonum. Sit prima conclusio, circa Canoniatum Ecclesiæ cathedralis requiritur ætas requisita ad suscipiendum sacrum ordinem, quæ est vel 22. ann. cum attingentia, juxta notata in vers. ordo, & in ver. beneficium, & supra §. 2. & §. 3. in Ecclesiis verò collegiatis, ubi non sunt Canoniatu, requirentes certum ordinem, dec. Rot. 324. in antiquis, dicit requirit ætatem viginti annorum, Gom. de expe. numero 86. dicit ex reg. Cancell. Greg. XI. sufficere ætatem decem annorum: tamen hodie de jure novissimo, Con. Trid. sess. 23. cap. 6. de refor. requiritur ætas quatuordecim annorum; ergo ex his patet, posse quem esse Cano-

nicum in ætate 14. anni. vide declar. sac. 481. in hæc verba: Nullo Concilii decreto sancitum est, quæ in eis ætas requiratur, qui Canoniatu in Ecclesiis Collegiatis consequi volunt, sed id relictum est intra illos terminos, qui ante idem Concilium Tridentinum præscripti sunt. hæc sac. Congr. hoc tamen fallit, nisi etiam in Collegiatis adsit aliqua dignitas, Canoniatu, aut portio quæ requirat ordinem sacrum: nam tunc non potest quis eam habere, nisi vel sit in tali ordine quem requirit dicta dignitas, Canoniatu, vel portio, vel in ea ætate sit constitutus, quod infra tempus à jure statutum possit ad eum promoveri, juxta dispositionem cap. licet Canon. id est, infra annum: ita sac. Concilium loc. cit. §. neminem, & sess. 22. c. 4. de refor. si verò non requirit sacrum ordinem, tunc vera est doctrina, quod constitutus in ætate quatuordecim ann. potest habere Canoniatu, dignitatem, & portionem, non requirentem curam animarum; ita sacra Congreg. declarat. 487. Episcopo Calentano: sed iste erit Canonicus in herbis, quia non habebit vocem in Capitulo, nec fructus percipiet, prout dixi supra, nisi esset præbenda. vide Anan. in rubr. de atar. & qual. n. 2. & Abb. in c. cum in cunctis, §. inferiora, n. 1. & §. 3. de elect. Vide omnino Gem. in c. si eo tempore, vers. in fi. gloss. de rescrip. lib. 6. ubi disputat de varia qualitate beneficiorum, & sic de varia ætate in eis obtinendis, & sunt quædam beneficia quæ possunt obtineri à puero, modò excesserit infantiam, sed in terminis sacri Concilii non licet altare ætatem.

Ad decimum. Patet responsio ex di-



Etis *sup. in ver. beneficium, num. 12. dub. 5.* & vide Vinc. Franch. *dec. 2.* ubi tractat de hac materia augendi Canonicos. Vide Gem. *in c. si canonici, §. si autem, in ult. de offic. ord. lib. 6.*

Ad undecimum. Vide *ibidem §. 4.*

Ad duodecimum. Respondetur, quòd si non optant, non propter hoc ullo temporis spatio perdant eam optandi facultatem, Capyc. *decisio. 134. num. 4.* & Jo. And. de Lignan. & Gem. *in c. ult. de consuetud. lib. 6.* & Anchar. *ubi supra, ver. quæro, Papa.*

Ad decimum tertium. Vide Clem. 2. *de etat. & qualit. ut sup. §. 6.*

Ad decimum quartum. Respondetur, quòd primum non potest fieri, secundum, & tertium sic. i. quòd fructus Canonatus, & beneficiorum non possunt obligari pro debito, sed sequestrari, & capi. Boer. *decisio. 226.* & hoc potest facere iudex ex officio, quando clericus beneficiatus est gravatus ære alieno: modò relinquatur ei portio congrua, unde clericus possit vivere, ita Covar. *libro 2. 1. part. num. 9. ver. cateriam varia. resol.* & ita practicatur in Romana Curia, ut ait Collectaneus, & alii *in capit. Odoardus, de solut. & Rodoan. de rebus Eccles. non alien. questio. 57. n. 9.*

### CIRCUMSTANTIÆ PECCATORUM.

#### S U M M A R I U M.

1. Quot genera sint circumstantiarum peccatorum.
2. Quot circumstantia.

#### 3. Quæ sunt quæ mutant, seu dant speciem.

**A**D Primum. Quinque genera circumstantiarum dicit esse D. Ant. 3. p. tit. 17. cap. 17. §. 5. Primum impetinentium. Secundum alienantium. Tertium aggravantium notabiliter. Quartum mutantium speciem. Quintum aggravantium in infinitum, de quibus videto Sor. 4. *sent. 18. d. 9. 2. art. 4.*

Ad Secundum. Videto eund. *loc. cit. cap. 6.* Sylv. & alios, *in ver. circumstantia, Con. Trid. sess. 14. cap. 5.*

Ad Tertium. Quinque sunt circumstantiæ, quæ dant, seu mutant speciem, quis, quid, cui, ubi, & quomodo, de quibus videto Doctor. *in loc. cit.* ita similiter, quando circumstantiæ scandali, seu recidivi sint ad speciem, videto eosdem, & dicam *in opere meo peculiari, de pœnitent.* hoc volui attingere pro practica Prælatorum, quando volunt examinare confessarios. Si quis voluerit de hac materia ad plenum videre, videat practicam nostram pœnitentialem, *in c. 12. per totum*, ubi habebis quadraginta quinque quæstiones circa peccatorum circumstantias.

#### CENSUS.

**P**Rimò, Census an super reb. Ecclesiæ possit poni, ut Rodoan. *de rebus Eccl. non alien. q. 17. n. 9.* & super fruct. ejus, *ibi, num. 7.*

Secundò, contractus in dubio potius præsumitur censualis quàm emphyteuticus, Jalon. *in l. 2. n. 42. C. de jure emphyt.* Scot. *conf. 167.* Butrius *conf. 42. lib. 1. n. 7.* Rodoan. *loc. cit. q. 17. n. 5. & 72.*

Tertiò